



VAM illustre conditorium et dormitorium Marchionum Misniae ac Landgrauiorum Thuringiae in CELLA VETERI, nobili olim Monachorum ordinis Cisterciensis coenobio, ad Muldam, non procul ab vrbe Friberga, sito, reperiatur, id tum aliunde, tum speciatim ex trium testium fide dignissimorum, nempe PAULI MARTINI SAGITTARII, CHRISTIANI SCHLEGELII et IO. IMMANVELIS MVLLERI, testimoniis constat. Prior enim, scilicet SAGITTARIUS, insignis historicus et Superintendens quondam ecclesiae Altenburgensis, dissertationem reliquit inter alia opera sua historica de *Locis sepulchralibus Sereniss. familiae Wittekindae*, iam anno MDCLXXV. typis Altenburgi impressam, et nunc b. IO. BURCARDI MENCKENII nostri, Polyhistoris Lipsiensis, *tomo II. Scriptorum Rerum Germanicarum*, p. 798. N. XVI. insertam, in qua nomina Marchionum Misniae et Landgrauiorum Thuringiae, in Cella illa Veteri sepulcorum, breuiter recenset. At SCHLEGELIUS, Antiquarius et Historiographus Saxonicus, sic dictum *Ἀποστολιμαίριον* edidit de *Cella Veteri ditiois ac dioeceseos Misnensis, in clyto quondam Cisterciensis Ordinis Monasterio, ac illustri Marchionum Misniae conditorio*, Dresdae Anno MDCCIII. in 4. typis excusum. Quibus duumuiris nunc merito adiungimus M. IO. IMMANVELEM MVLLERVM, Rosuinensem, bibliothecae quondam Academiae Lipsiensis custodem, qui opusculum aliquod MSCtum germanicum, sed nondum ad finem perductum, post obitum praematurum, penes nos reliquit, cui titulum fecit: *Alt-Zellisch Rosweinische Historie, darinnen das wegen der Marggräfl. Begräbnisse und derer gelehrten Uebte, vormahls Meisnische Cistercienser Feld-Closter Cella, die dabey liegende Berg-Stadt Roswein, auch andre zum Kloster ohedem gehörige Dörffer, aus Diplomaten, Alt-Zellischen MSCtis, Geschicht-Büchern und Documenten beschreiben werden.* Omnes tres hi testes Marchiones veteres Misniae et Landgrauios Thuringiae, vna cum coniugibus aut liberis quibusdam suis in CELLA VETERI sepultos, suo quisque ordine commemorant; hoc saltim cum discrimine, vt SAGITTARIUS primas lineas duxerit, et nomina saltim Marchionum et Landgrauiorum exhibeat; SCHLEGELIUS Annales duntaxat totius Monasterii Vetro-Cellensis, annotationibus quibusdam historicis illustratos, congefferit; at vero MVLLERVS integram historiam Monasterii huius laudatissimi, ad certa capita reuocatam, in prima parte opusculi sui MSti adornauerit et propemodum perfecit; simul vero in vitis Marchionum et Landgrauiorum, hic conditorum, lapsus Schlegelii aliorumque adnotauerit et emendauerit. Non abs re futurum existimamus, conspectum integrum partis primae opusculi huius MSti, qua de CELLA ipsa VETERI MVLLERVS tractat, heic exhibuisse. Diuisa est pars haec prima in VI. Sectiones; quibus tabula Marchionum Misniae et Landgrauiorum Thuringiae, in Cella Veteri maximam partem sepulcorum, praemittitur. Et Sect. I. quidem MVLLERVS coenobii huius illustris denominationem, situationem, fundationem et inaugurationem, ex antiquis diplomatibus, eruit et euoluit. Sectione II. de sacellis Marchionum et Ducum Misniae, vt et reliquis sacellis ibi exstructis olim, tractat. Sectione III. de epitaphiis illustribus, quae ibi adhuc visuntur, nec non de Marchionibus et Ducibus ibi conditis, quorum vitam et res memorabiles simul enarrat, pariter ac de reliquis personis illustribus et claris, ibidem sepultis, agit. Sectione IV. seriem Abbatum, qui huic coenobio praefuerunt, pariter ac alios eius Officiales, nec non Monachos celebriores enumerat. Sectione V. de Bibliotheca huius Mo-